



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Archidiacono, Archipresbytero, & Canonicis Mediolanen.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20006

gatum, quem inter fratres nostros speciali amplectimur dilectionis affectu, & quem personam tuam & regnum diligere sincerè cognoscimus, utpote in eo nutritum pariter & instructum, qui te ad hæc diligenter commoneat, & nostram tibi exponat plenius voluntatem; cui, tanquam nobis ipsis, fidem adhibeas super his quæ tibi duxerit proponenda.

*ARCHIDIACONO,
Archipresbytero, & Canonico
Mediolanensi.*

Epist. 349.
Quæ modis
crimen falsi cir-
ca bullas apo-
stolicas com-
mittatur.
Cap. Licet.
De falsariis.
Vide lib. 2. epist.
29.

Licet ad regimen ap. sedis, quæ dan-
te Domino universarum Ecclesia-
rum mater est & magistra, insufficientes
nos vita & scientia reputemus, quantum
tamen Dominus nobis sua miseratione
concesserit, ab his proposuimus abstine-
re per quæ nobis possit merito derogari:
quanquam ex infirmitatis humanae de-
fectu non sic formam perfectionis semper
& in omnibus imitari possumus, quin
aliquid aliquando in nostris surrepat
operibus quod minus circumspæcta pro-
videntiae valeat imputari, quod tamen
non ex industria vel scientia certa, sed
interdum ex ignorantia vel nimia occu-
patione contingit. Significasti siquidem
nobis per literas vestras quod cùm quæ-
dam vobis fuissent literæ præsentatae,
per quas vobis districte præcipere vide-
bamur ut I. de Cimilian. Clericum Ec-
clesiæ vestrae in Canonicum recipieretis
& fratrem, nec aliquem alium in Cano-
nicum vocaretis, donec ipse præbendæ
beneficium plenariè fuisset adeptus, ea-
rum tenore diligenter inspecto vix eas
credidistis de nostra conscientia proce-
fuisse, vel si etiam processerunt, per ni-
miam fuisse importunitatem obtentas.
Ceterum cùm easdem literas, sicut viri
providi & discreti, ad nostram remissis-
tis præsentiam, ut ex earum inspectione
pleniè nosceremus utrum ex nostra
conscientia processissent, plus in eis in-
venimus quædam vestra fuisset discretio
suspicata. Nam licet in stilo dictaminis
& forma scripturæ aliquantulum cœpe-
rimus dubitare, bullam tamen veram in-
venimus, quo d. primùm nos in vehe-
mentem admirationem induxit, cùm li-
teras ipsas sciremus de nostra con-
scientia nullatenus emanasse. Bullam igitur
hinc inde diligenter intuentes, in su-
periiori parte, qua filo adhæret, eam ali-
quantulm tumentem invenimus, &

cum filum ex parte tumenti sine violen-
tia qualibet aliquantulum attrahi feci-
semus, bulla in filo altero remanente,
filum ex parte illa fuit ab ipsa sine qua-
libet difficultate avulsum, in cuius sum-
mitate adhuc etiam incisionis indicium
apparebat. per quod liquidò deprehen-
dimus bullam ipsam ex aliis literis ex-
tractam fuisse, ac illis per vitium falsi-
tatis inferram, sicut ex literis ipsis ple-
nius agnoscetis, quas ad majorem cer-
titudinem vobis duximus remittendas.
Cùm igitur tantus excessus relinqu non
debeat aliquatenus impunitus, discre-
tioni vestra per apostolica scripta man-
damus & districte præcipimus quatenus
dictum I. nisi infra viginti dies post ha-
rum susceptionem à vobis commonitus
ad præsentiam nostram cum testimonio
literarum vestrarum satisfacturus acce-
serit, ex tunc ab omni ecclesiastico bene-
ficio & clericali officio, sublato cujuslibet
con. & ap. obstaculo, suspendatis,
vel, si beneficio caret, anathematis eum
sententia innodetis, cùm ab hac culpa
non de facili sit credendus immunis, cùm
nec per fratres nec consanguineos no-
stros nos, licet sèpius rogatos, potuissent
inducere ut super hoc nostras vobis lite-
ras mitteremus, ex quo fraudem auto-
ris, et si principalis falsarius ipse non fue-
rit, sufficienter agnoscere potuissent; præ-
sertim cùm eo tempore præsens fuisse
dicatur quo contra falsarios de commu-
ni fratum consilio publicè constitui-
mus inter cetera, sub pœna excommu-
nicationis firmiter inhibentes, ne quis
literas apostolicas nisi de manu nostra
vel bullatoris nostri recipieret, illis dun-
taxat exceptis quibus propter dignitatis
excellentiam indulsum us per nuncios
fideles & notos id ipsum possent effice-
re. Ut autem varietates hujusmodi fal-
sitatis, quas hactenus deprehendimus,
vos ipsi de cetero deprehendere valea-
tis, eas vobis præsentibus literis duximus
exprimendas. Prima species falsitatis hæc
est, ut falsa bulla literis apponatur. Secun-
da, ut filum de vera bulla extrahatur ex
toto, & per aliud filum immisum falsis
literis inferratur. Tertia, ut filum ab ea
parte, in qua charta plicatur, incisum,
cum vera bulla falsis literis immittatur
sub eadem plicatura cum filo similis ca-
napis restauratum. Quarta, quod à su-
periiori parte bullæ altera pars fili sub
plumbo rescinditur, & per id filum lite-

Vide supra epist.
235.

Cc

ris falsis inserta reducitur infra plum-
bum. Quinta, cùm literis bullatis & redi-
ditis aliquid in eis per rasuram tenuem
immutatur. Eos etiam à crimine falsitatis
non reputamus immunes qui contra
constitutionem præmissam scienter lite-
ras nostras nisi de nostra vel bullatoris
nostræ manu recipiunt. Eos quoque qui
accidentes ad bullas, falsas literas cau-
tè projiciunt, ut de vera bulla cum aliis
figillentur. Sed hæ duæ species falsita-
tis non possunt facile deprehendi, nisi
vel in modo dictaminis, vel in forma
scripturae, vel qualitate chartæ falsitas
cognoscatur. In ceteris autem diligens
indagator falsitatem poterit diligentius
intueri, vel in adjunctione filorum, vel
in collatione bullæ, vel motione, vel ob-
tusione; præsertim si bulla non sit æqua-
lis, sed alicubi magis sit tumida, alibi
magis depressa. Si vero quod contra
ipsum I. vobis præcipimus neglexeritis
adimplere, noveritis nos venerabili fra-
tri nostro Vercellen. Episcopo præci-
piendo mandasse ut ipse id auctoritate
apostolica sublato appellationis obstacu-
lo exequatur. Datum Spolet. IV. Nonas Se-
ptembbris.

D E F A V R E S H A M,
S. Augustini, & S. Georgij Prioribus,
in Cantuarien dioceſi conſtituitis.

Epiſt. 350.
Ne ad iedem
apostolicam ri-
te appellantes
impediantur.

Sic apostolica sedes inter fratres &
coepiscopos nostros pastoralis dis-
pensavit oneris gravitatem, sic eos in
creditæ sibi solicitudinis partem affum-
psit, ut nihil sibi subtraheret de plenitu-
dine potestatis, quod minus de singulis
causis ecclesiasticis inquirere possit, &
cùm voluerit judicare, ad communem
omnium utilitatem constituens, ut ad
eam tanquam generalem omnium ma-
trem & singulare fidelium Christi refu-
gium appelletur, per quod & minorum
tollatur oppressio, & superiorum præ-
sumptio refrænetur. Cùm itaque appel-
lationibus, quæ ad sedem apo. interpo-
nuntur sapienter, velimus ab omnibus hu-
militer & devote deferri, disc. vestræ
per apostolica scripta mandamus & di-
strictè præcipimus quatenus ex parte
nostra curetis fortius inhibere ne quis in
Cantuarien. Ecclesiam & dilectos filios
Prioris & monachos Cantuarien. post
appellationem ad nos legitimè interpo-
litam excommunicationis, suspensionis,
sive interdicti sententiam proferre præ-

sumat. Si quis verò contra præsumpe-
rit, vel haec tenus forte prælumpsit, ien-
tentiam ejus nullam esse penitus nun-
cieris. Si qui etiam possessiones eorum
invaserint violenter, eos ad restitutio-
nenem earum per censuram ecclesiasticam
appel. postposita compellatis. Nullis li-
teris ob. veritate tacita &c. Quod si om-
nes &c. Datum Spolet. IV. Nonas Se-
ptembbris.

S. AVGUSTINI ET S. GEORG.
Prioribus Cantuarien.

Dilecti filii Io. & Hubertus nuncij
dilectorum filiorum Prioris & mo-
nachorum Ecclesie Cantuarien. nobis
humiliter retulerunt quod cùm pro cau-
fa quæ inter dictos Priorem & mona-
chos & venerabilem fratrem nostrum
Cantuarien. Archiepiscopum super ca-
pella de Lamhee vertebatur, ab ipsis
Priore ac monachis mitterentur, sicut
eis propositum fuit, idem Archiepisco-
pus post iter arreptum in eos excommu-
nicationis sententiam promulgavit. Cùm
autem plus sit ad sedem apostolicam
facto provocare quam verbo, & ipsis
propter prædictam causam ad Romanam
Ecclesiam venientibus, intelligatur ad
sedem apostolicam provocatum; discre-
tioni vestræ per apostolica scripta man-
damus quatenus si verum est quod asser-
tur, dictos Io. & Hu. appellatione post-
posita denuncietis excommunicationis
vinculo non teneri. Datum Perusij, III.
Idus Septembbris.

ARIANEN. EPISCOPO.

Accedentes ad præsentiam no-
stram dilecti filii Georg. & Aug.
monachi monasterij sancti Salvatoris de
Telezia, quod ad Romanam Ecclesiam
specialiter noscitur pertinere, dilecto-
rum filiorum Conventus ipsius mona-
sterij ac Prioris & Primicerij Beneven-
tan. nobis literas præsentarunt: ex qua-
rum continentia & illorum diligenti si-
gnificatione nobis innotuit quod cùm
prædictis Priori & Primicerio Beneven-
tan. nostras literas misissemus ut P. tunc
Abbatii ipsius monasterij, quoniam ip-
sum minus provide gubernabat, de bo-
nis ipsius facerent congruè provideri, &
ibidem alium subrogari Abbatem qui
præesse sciret fratribus & prodesse, pro-
viso convenienter eidem P. post resigna-
tionem ipsius, ipso præsente, ac suum

Epiſt. 351.
Evidēcū ag-
menti.
Cap. Dilecti ſ.
Iij. De appellat.

Epiſt. 352.
De elec-
& confirmatio-
ne Abbatis Be-
neventani.